

Nter διδασκαλίας τρόπος apud Aegyptios & Græcos non postremus ille fuit, qui in symbolis consistebat, in quibus præcipuum posuere studium Pythagoras, ejusq; discipuli Philolaus, Eurytus, Charondas, Saleucus, Bryson, Archytas Senior, Lysis, Empedocles, Zamolxis, Epimenides, Molon, Leucippus, Alcmaeon, Hippasus, Thymarides, &c. qui omnes συμβόλων ἐμφάσεις, καὶ ἀπόρητος ἐννοίας, symbolorum explanationes, significations & arcanae notitiae, quem quodq; sensum, aut qvid in se veritatis haberet, detegere & aperire, formamq; orationis ænigmatice & obseure adhibere, suis postea rebus applicare, imò ad omnes simul virtutes totamque vitam extendere, in more positum habebant.

Inter alia vero circumfertur & hoc Pythagoricum: Δαδίω Θάνον μὴ απόμενον. hoc est, facula thronum sedem ne expurgato. Qvod symbolum sibi qvid velit, sententiis hinc illinc distracti quaerunt multi. Qvosdam illud δαδίω Pythagoricum de φεγγείᾳ i.e. splendore seu claritate Philosophiæ interpretari videoas; sedem vero de ςωδίᾳ i.e. cantu animalium, quo tamen quid significatum esse censeant, nemo illorum explicat: Alii faculam istam τῇ Φυσικῇ θμητηδιότητι, naturali habilitati, aut etiam sapientiæ conferunt: Rursus alii sanctioris illius ac verioris Philosophiæ, ipsius videlicet Scripturæ Sacræ præcepta per dictā factem, intellecta volunt, quippe quæ sint ignis instar, suā naturā, μιασμῶν διποθητικά, prohibentia omnia piacula, scelera, errores, & impuritates: Deniq; sunt, qui Deum ipsum hoc emblemate adumbratum esse statuunt. Hoc indubitate est, ignem apud antiquos semper in maximō fuisse honore. In templo Jovis Olympici nocte dieq; ignis asservabatur. In fano quoq; Cereris & Proserpinæ piaculum erat extingui hunc ignem. Ægyptii ut sacrum; Persæ ut Deum præ cæteris colebant, eidem alimenta suggerebant, hostica omnia consecrantes illi, ea ut devoraret, provincias, urbes, simulacra deorum, illum ex Tyrii relatione, Dominum vocantes: verba Autoris sic habent: Πέρσαι Θύγοι τῷ θηροφέροντες αὐτῷ τὴν πυρὸς τροφὴν, θηλέγοντες, πῦρ δέσποτα ἔδιε: Ignis sacra faciunt Persæ, igni alimentum suppeditant, acclamantes: O Domine ignis, Comede! Et paulò post, eos refutans: Quem quidem deum non lignis tantum pascitis, aut victimis, aut suffitu sacro, sed longè majoribus,

) (2

quippe